



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 37. Albæ Dux Neapolim profectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. XXXVII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.*Albæ Dux Neapolin profectus.*

Interea Albæ Dux induciarum opportunitate fretus cæptum propugnaculum festinato opere urget, aliudque ad Neptunum construere statuit, eo quod hic locus ad annonam secure advehendam peropportunus videretur. Postea præter octo belli tormenta Ostiæ arcis octingentos Hispanos pedites imposuit, eisque Julianum Vasquesium de Avila, necnon Franciscum Hurtadum Mendoza præfecit, ipse vero die prima Decembris castris Anagniam versus motis profectus est, relicto ibidem cum levis armaturæ equitibus Popolio Comite, qui eo absente summæ rerum præesset: postea dimisso Italo peditatu, & distributis in Hiberna Hispanis ipse Neapolin magnis itineribus contendit, deditque negotium Lopezio Mardonii, ut Cajeta & ex Neapoli annonam ad Neptunum urbem, & inde in munimentum ab eo captum, & ad Ostiæ arcem inferri curaret; quod ille summa diligentia præstitit.

Albanus dum Neapolin pervenerat, ac de belli apparatu, quem Papa pro futuri anni expeditione instruxerat, certior fuerat factus, mox convocato regni Procerum concilio eos in tanto pericu-

*Hist. Eccles. Tom. XLII. D d lo*

**Sæcul. XVI.** lo ad vires jungendas, & pecuniam cō-  
A.C. 1556. ferendam hortatur, hinc decretum, ut  
 triginta millia peditum Italorum conscri-  
 berentur, quorum pars per præsidia  
 maritima ad propulsandos classis Turci-  
 cæ impetus distribueretur: Altera ve-  
 ro pars ad Campaniam Romanam mit-  
 teretur. Insuper in Germania sex mil-  
 lia peditum conducta fuerunt, quæ per  
 Croatiam, & Istriam, ac Julii forum de-  
 ducta Tergesti navibus imponerentur, &  
 inde transmisso Adriatico sinu juxta  
 Aternum, quæ hodie Piscaria est, in re-  
 gno exponerentur.

### §. XXXVIII.

*Bellicus Albæ Ducis apparatus ad  
 anni sequentis expeditionem.*

*Thu. l. c.*

Jamjam ad exercitum confluxerant  
 Duce Casparo Felsio duo millia Ger-  
 manorum, quos Albæ Dux statim Ca-  
 jetæ navibus impositos ad Popolium Co-  
 mitem, quem in Campania Romana  
 reliquerat, misit. Evocabantur quo-  
 que ex Longobardia quatuor millia Ger-  
 manorum, quibus Albericus Lodronius  
 præerat. Expectati pariter fuere ex  
 Hispania tria peditum millia, quæ jam-  
 jam Barcinonam attigerant: insuper E-  
 quitatus novis delectibus auctus est,  
 mille quingentis Equitibus: denique  
 Albæ Dux de modo, quo limites tueri  
 possent,